



PARERGA.
EX JURE GENTIUM NATURALI.
TEXTUS.

In his contractibus (emtionis, venditionis &c.) alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono, & aequo præstare oportet. §. 3. *Inst. de obligat. ex consens.*

Scholion 1. *Etiamsi partes de eo, quod præstari bonum æquum est, non cogitassent, vel dixissent aliquid.*

2. *Hec obligatio contractibus bonæ fidei præ contractibus stricti juris inest, non civili solum ratione, sed etiam naturali.*

EX JURE CANONICO.

Ad Tit XLIII. Lib. III. Decretal.

I. *Aureum, verèque canonicum Innoc. III. monitum est in Cap 2. h. t. istud: Sopitis quæstionibus Doctorum, Patrum sententias teneas. Ex magno opinionum mari feliciter emerget, qui soli Patrum Theologiæ in simplicitate mentis operam dabit.*

II. *Hec me firmiter docet, Baptismum fluminis esse omnium N. L. Sacramentorum unicam januam; licet argutiæ scholasticæ, quas cap. 3. h. t. disputandi causâ refert, non sequitur Innoc. III., opinantium, fluminis quoque baptismum, saltem tunc, cum quis creditur fuisse aquâ baptizatus, sufficere ad suscipienda validè reliqua sex Sacramenta, longè sint speciosiores, quàm multæ aliæ opiniones modernæ.*

Ad Tit. XLIV.

*Eucharistiam esse Sacramentum, in utraque specie post Missam celebratam asser-
vabile, & in columba, turricula, pixide, aureis, argenteis, reve-
reter aservatam, ex antiquitate certum est; licet aliquando prop-
ter periculum abusûs, non aservaretur, sed innocentibus pue-
ris reliquie darentur.*

Ad Tit. XLV.

*Tam Beatificatio, quam Canonizatio Sanctorum est meritò successu temporis
reservata soli supremo Pontifici, quem in decretis hujusmodi falsum
haud iri, piè credendum est.*

Ad Tit. XLVI.

- I. *Jejunium olim essentialiter importavit abstinentiam à carnibus, cum
unica tantùm, eaque vespertinâ, refectio.*
- II. *Data ex post plenâ refectioe circa meridiem, & refectiunculâ vesper-
tinâ, aetatis limites, nempe 21. anni ad initium, & 60. anni ad
finem obligationis, male hodie dum à Doctõribus figuntur.*
- III. *Quadragesimam jejunii unam, non Christus, vel Apostoli, sed Ec-
clesia precepit; alius particularibus tres, imò & quatuor per annum
quadragesimas observantibus.*
- IV. *Etiã indictâ Paschali Quadragesimâ, nondum mox omnes Laici
tenebantur jejunare septem hebdomadis, sed alii unam, alii duas,
alii tres tantùm, pro Quadragesimâ jejunare solebant.*
- V. *Alii certis Quadragesimæ diebus, e. g. seriâ quintâ, & Sabbatho, solve-
runt jejunium; in Dominicis autem plerique Laici; ad quos dies
compensandos anticipavere jejunia Quinquagesimæ, Sexagesimæ,
Septuagesimæ.*
- VI. *Quamquam jejunium vernale corporibus equè, ac animabus maximè salu-
bre sit; non debent tamen Episcopi quarumvis terrarum in dispen-
sando super abstinentiâ à carnibus (salvâ afflictioe corporum
per inedia) erga sibi subiectos, cum gravi familiaris rei eorum dis-
pendio, esse adeò rigorosi, ac difficiles.*
- VII. *Sicut in Trevirensi Diœcesi jam inde à diversis annis continuis, encyclicâ
BENEDICTI XIV. sanctâ non obstante, ob difficultatem abstinen-*

riæ communem, *justâ benignitate cum Clero Sæculari, & populo inde à Dominica I. Quadragesima usque ad Palmarum exclusivè, in communi dispensatam fuit; & quidem pro Dominicis plenè, pro Feriis, secundâ, tertiâ, quintâ, minùs plenè.*

Ad Tit. XLVII.

- I. *Quamquam Lex Mosaica, quâ talis, quoad præcepta morum, ac judiciorum purè positiva, Ecclesiam non obliget;*
- II. *Dantur tamen Præcepta, etiam purè positiva, ante-Mosaica, quæ non exspirârunt;*
- III. *Veluti lex Decimarum, sanctificandi diei septimi: non autem lex abstinentiæ à sanguinis, & suffocatorum animalium, esu.*

Ad Tit. XLVIII.

- I. *In materia erectionis novarum Parochiarum leges fundamentales sunt. Cap. 3. h. t., & Tridentinum Sess. 21. de reform. c. 7.*
- II. *Multum refert matricis Ecclesie, hoc in casu habere discretum Episcopum; nam hic non tenetur præcisè ad erectionem novæ Ecclesie; sed potest ordinare Vicarium in loco residentem, qui subsit Parocho matricis;*
- III. *Quam ultimam viam præferimus pruritati, novas ex filialibus creandi Ecclesias, sepè in favorem unius providendi Clerici, aut filialistarum, se concursui onerum matricis per dismembrationem liberare affectantium.*

Ad Tit. XLIX.

Ecclesia, & Clerici sunt jure divino à vectigalibus, & tributis immunes.

Ad Tit. L.

Clericus, salvâ honestate suâ, potest esse agri- & vinicola, nec non opificioli exercitor; non tamen carnifex, i. e. lanio; non Chyrurgus secans, & urens; benè autem Medicus, si rem calleat.

CASUS CANONICUS.

Titius Parochus, habito consensu Patroni, dedit Agenti Romano mandatum de resignando in favorem, adjecto altero speciali de jurando, & novum

consensum exhibendo post signaturam Papalem; signavit sua Sanctitas; postea contigit, & Roma innotescit mors Titii mandantis. Q. An nihilominus expeditio Bulla consequetur in favorem resignarii? R. Affirmative.

EX JURE CIVILI.

Ad Tit. XIII. Lib. II.

- I. Omnino distingui subtiliter debet inter Procuratorem ad unam negotii speciem, plenipotentiarium, generalem simplicem, & generalem cum liberâ.
- II. Procurator, secus est de Syndico, publicus, qui & legalis dicitur, hodie est tantum minister litis, non dominus, sicut de Jure Romano.

Ad Tit. XIV. & XVIII.

- I. Ne Reo quidem licitum est, defendere se Patrocinio potentioris.
- II. Idque verum est, etiamsi defendendus esset persona miserabilis.

Ad Tit. XV. XVI. XVII.

- I. Insignia posita in adificio probant dominium ejus, cujus sunt insignia.
- II. Quae viâ facti ponuntur in alieno, viâ facti, etiam ex intervallo, tolli possunt.

Ad Tit. XIX.

- I. Actio negotiorum gestorum concurrere potest cum actione mandati.
- II. Negotiorum gestor praestat culpam, prout contra-distinguitur casui, adeoque etiam levissimam.
- III. Culpa haec est respectiva solum ad diligentiam, qualem negotiorum gestor rebus suis adhibere solet.

Ad Tit. XX.

Explosâ, sibi non constante Philosophiâ juris Civilis, metum justum passus nullitatem negotii rectè facit.

CASUS CIVILIS

ad perpetuam rei falsæ memoriam.

Amandus emit ab Aniceto 8. vineas bis mille Imperialibus; Anicetus tradit Amando literas de singulis, quo loco sita sint, & quot numerent stipites: acquiescens fidens Aniceto Amandus: postea circa tempus cultura quærens vineas, intelligit; duas ab Aniceti avo esse alteri venditas; Amandus adit judicem; hic audiens, quod Amandus sit tantum deceptus infra dimidium justî pretii, repellit Amandum, & pronuntiat Anicetum liberum. Amandus Anicetum monet, ut consideret, quid justum sit in foro conscientiæ: reponit Anicetus: Lex justa in foro externo est etiam justa in interno, nihil proinde debeo. SIC ENIM DOCUIT PROFESSOR JURIS CANONICI TREVIRIS. Ita liber casuum, Decreto Electorali d. d. 9. Jun. 1753. ex Treviratu proscriptus. R. Axioma post Clariss. Engel sæpè docuit, & adhuc docet idem Professor; nec improbabile est, idem axioma applicari posse foro interno, si contigerit citra propositum læsio gravis infra dimidium; sed tali casui applicare, aut læsionis infra dimidium casum sic, ut supra, figurare, non somniavit; nec creditur, aliquem judicum pro foro externo sic absolutoriè pronuntiâsse: Si quis verò pronuntiâset ita, is sanè pro utroque foro pecus juris fuisset.

EX JURE S. R. I. PUBLICO.

- I. Aurea Bulla an. 1356. est quidem Lex solius Imperatoris, sed non à solo Imperatore mutabilis.
- II. Imò ne quidem ab Imperatore, & S. R. I. Principibus Electoribus solis.
- III. Pasa est propter vicissitudinem temporum nonnullas desuetudines, & immutationes.
- IV. Proptereà tamen non agnoscimus omnes illas octo, quas dedit Lymnæus.

EX JURE FEUDALI.

- I. Parentes possunt facere feuda oblata, salvis regulis inofficiosæ donationis.
- II. Contra onerosè oblata cessat querela inofficiosæ donationis.

EX JURE CRIMINALI.

- I. *Pro materiâ laquei constituit rem, 5. solidos, aut plus, valentem FREDERICUS I. Imp. II. Feud. 27. §. 8. Quantum fuit? R. quilibet Solidus 12. denarii, quilibet denarius unum scripulum argenti 15. lotonum: proinde 2½. unciales Francie. Confer. ibid. §. 5.*
- II. *Sed Carolus V. Imp. fixit an. 1532. fünf Gulden, oder darüber wehret. Quantum hoc erit? R. Non quinque aurei Hungarici, vulgò Ducaten, sed 5. Floreni auri, Gold, Gulden, Rhenensibus illius ævi pares.*

EX JURE TREVIRENSI.

Clericus Trevirensis concurrat ad onera Patrie communia, non jure tributi, sed subventionis juxta voluntaria concordata: sed & econtra non solvit subsidium charitativum, nec cathedraticum.




HISTORICUM.

- S. HENRICUS II. *Imp. Germanico Clero indulget, ut à Clericis juramenta in persona non præstentur. Eximius P. Hartzheim S. 7. in ferie chronolog. Tom. 3. Conc. Germ. pag. XXX.*
- Crisis.* 1. *Cur restrictim Clero Germanico? cur non & Italico? cum constitutio sit condita Arimini? Cur non omni Clero, propter verba: ad omnium Ecclesiarum Clericos generaliter?*
2. *Nostra hujus constitutionis editio, ex MSS. Codice compilat. Bernardi Papiensis data in Repetit. cap. 1. de Juram. Calumn. est correctior illâ, quam dedit Eximius ibid. pag. 64. Non debuit legi: Domini Marci, sed Divi Marci, nec in fine: debeat, sed liceat.*

I. O. G. D.


© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

- A** 1  **R**
- G** 2  **G**
- B** 3  **B**
- M** 4 **5** 6 **W** 7  **8**
- G** 9  **10**
- K** 11  **12**
- C** 13  **14**
- Y** 14  **15**
- M** 17  **18** **19**



Centimetres



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

